55

PANEGYRICUS

EMINENTISSIMO

SACRÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALI

AC

DOMINO

DE

FLEURY,

POTENTISSIMI AC CHRISTIANISSIMI, GALLIARUM REGIS PRIMO MINISTRO, POTENTISSIMÆQUE AC CHRISTIANISSIMÆ REGINÆ SUPREMO SACRARUM LARGITIONUM PRÆFECTO, EPISCOPO QUONDAM FORI-JULII, SUMMO POSTARUM PER FRANCIAM INSPECTORI, NEC NON ABBATI SANCTI STEPHANI CADOMENSIS,

PIO, PACIFICO, FELICI,

POST RESTITUTAM IPSI VALETUDINEM

SCRIPTUS

A

CHRISTIANO LUDOUICO PFITZERO,

SERENISSIMO PRINCIPI FRISIÆ ORIENTALIS

AC ONSILIIS REGIMINIS ET ECCLESIASTICIS.

Digitized by Google

Per. Vet. 66[illegible] . 1

Bella per Auſonias ſubito conflata tumultu
Lechorumque plagas, curvique fluenta Moſellæ,
Et tumidum toties hoſtili ſanguine Rhenum,
Heu tandem ceſſere procul, lituosque tubasque,
Ac equitum peditumque minas pax ire remotos
Juſſit ad Auroræ thalamos, & inhoſpita Ponti
Litora, Tartareasque domos, Moſchumque potentem.
Cedunt arma togæ, mutantur faſcibus enſes,
Proque ſagis trabeas pulchro diſcrimine miles
Induit, inque novas exſurgunt caſtra curules.
Quæ prius Inſubriæ regio, fractisque ſubactus
Cornibus Eridanus querulo ſine murmure Celtis
Paruit, adſuetas iterum veneratur habenas,
Et reduces aquilas, excuſſo læta timore
Mantua, poſt Italas ſolum ſervata ruinas,
Fata ſibi meliora vovet, ſociæque Cremonæ.
Non timet in Siculo caſtella natantia ponto
Amplius, Illyriasque rates, ſed tutius æquor
Nauta ſecat, ſolumque trucis palleſcit ad Afri
Barbariem trepidus, domino frænatur Ibero
Indomitus Calaber, cunctisque rebellia ſceptris
Subdit colla jugo, Lotharingus flectit Etruſcum,
Divulſæque prius coëunt in fœdera dextræ,
Et quoscunque olim ſanguis conjunxerat idem,
Nunc idem connectit amor, ſpondetque perenne

Fœdus amicitiæ fratri Germania Gallo.

Proh ſuperi! quænam placidi clementia cœli,
Aut quis Semideum tam florida ſecula terris
Reddidit, & clypeos, haſtasque virentibus herbis,
Atque triumphales animavit fronde curules?
Augure non opus eſt, Delphive loquacibus antris.
Tu ſolum, augurio cui fauſto Gallia faſces
Borbonios, croceumque dedit diadema regendum,
Regnorumque decus, Tiberinaque dextra tiaræ
Purpureæ ſublime jubar, cui fronte refulget
Majeſtatis honos, & avitæ gloria gentis,
Has pacis largiris opes, animasque potentum
Accenſas odiis blando moderamine flectis,
Et rabidum noſtris propulſas finibus oeſtrum.
Non Tibi ſollicitum flammis ultricibus orbem
Et furiis peragrare placet, ſepelire ruinis
Oppida, confuſumque chaos, mortesque, rogosque,
Aut diras pavidis mortalibus indere peſtes.
Vinceris, & vincis. Partis poſt proelia palmis
Inter conſertas acies, mediosque triumphos,
Pacificum meditaris opus, non immemor, æquas
Fortunam mutare vices, nec ſemper amicum
Eſſe jubar ſolis, roſeo cum ſurgit ab ortu,
Et Tarteſſiacis iterum cum mergitur undis,
Incluſosque novis erumpere viribus ignes.

O mea, ſi poſſent, pronis in carbaſa ventis
Parva per oceanum meritorum tranſtra Tuorum
Et laudum penetrare ſinus, ſeu Muſa Maronis
Alite per convexa vehi! Te noſceret Indus,
Quem ſol purpureis oriens illuſtrat habenis,
Et quem veſper adit, Pharii Te litora Nili,
Et niger Æthiopum populus, Te triſte Bootæ
Sidus Hyperboreum gelido loqueretur in axe.
Grandia ſed voluiſſe ſatis, proſcripta pudoris
Cauſa, nec intrepidum perterret purpura vatem.
Haud ſecus ac piceos admixto ſulphure nimbos
Sicanius metuit, nullas licet ætna favillas
Exſpuat, & tectos ſub gurgite comprimat æſtus.
Impacata quies, & diſſociata potentum
Fœdera diverſis ſtudiis, cineresque doloſi,
Non bene ſopitos prodentes ſæpius ignes,
Sic ſuſpendebant tacita formidine gentes,
Cum ſubito flammæ perrupto carcere toti
Formidata diu miſcent incendia mundo.
Prima procelloſi gravis inclementia fati
Incubuit Latio, cunctis exercitus oris
Fulguris, aut nimbi ritu per devia, perque
Clauſtra ruit, ſubitis nec valles auſibus obſtant,
Alpinæque nives, miſcetur Celta Sabaudo,
Et duce, qui clypeos inter Boreamque, Notumque,

Canuit, Inſubricis fruitur præeunte trophæis.
Non remoratur hiems, triſtes nec ſole remoto
Decrepitique dies, niveis non tecta pruinis
Tranſalpina Ceres, viduataque culmina Baccho.
Fortes ardor agit, coeptisque faventibus addit
Uno ſors hiemis ſpatio tot caſtra, tot urbes,
Quot Pellæa manus quondam vix ſubderet anno.
Parte alia gravis inſtat Iber, diviſaque ſceptris
Regna ſuis, animoque diu poſſeſſa, cruento
Marte petit, viſo nec ceſſat Brutius hoſte
Fræna pati, Samnisque Tagi moderamina noti.
Nec minor exercet ſtrepitus confinia Rheni.
Hic Nemetum tellus, illic perſoſſa Suëvi
Arva gemunt, Trevirique graves depaſcit ariſtas
Hoſtilis ſonipes, vernos terit ungula campos,
Et vexat privata minax æraria Quæſtor.
Eſt locus, Isſiacum veteres dixere coloni,
Virtuti, pacique ſacer, cui Tuſcula tellus
Cederet, & Charitum gratis ſuffitibus horti.
Non ibi marmoreis ſurgunt tabulata columnis,
Aurataque trabes, non divitis atria Scauri.
Luxus abeſt, nec enim divina modeſtia pompam,
Aut Orientis opes, & poſtes curat eburnos.
Exſulat hic ſimulata fides, fraudumque bilingues
Inſidiæ, foedumque nefas, animusque nocendi.

Hos ſibi relligio potius pietasque, fidesque,
Divaque ſecuros ſtatuit prudentia portus,
Et formidatum nocuis Aſtræa tribunal.
Huc ſe contulerat manibus poſt terga revinctis
Italia, hanc trepido ſequitur Germania paſſu
Ærumnoſa procul. Sunt illis pulvere foedo
Deformes habitus, cuncto ſedet horror in ore.
Utque ruinoſo ſordent velamine, flexis
Procumbunt genibus, tranquilla per otia Teque
Partitum Latios populis bellantibus agros
Cernunt, & famulo dictantem jura Moſellæ.
Tunc ſic orſa prior: Quæ me funeſta malorum
Congeries, quæ fata premant, toleranda ſuperbo
Arſacio generi, quæ vis Mavortia belli,
Ipſe vides, Druidas inter Celſiſſime Præſul.
Non queror antiquas Senonum, Brennique ruinas,
Non bellatoris Pyrrhi, non barbara Cimbri
Secula, nec tumidæ ſævas Carthaginis iras,
Hæc olim miſeranda tuli, jam durior urget
Tempeſtas, uritque lues præcordia major.
Heu mihi! quos quondam Fabii, forteſque Camilli,
Scipiadæque meis arcebant finibus hoſtes,
His nunc inſperata premor, quæ legibus orbem,
Quem ſidus gemino curſu diſtinguit utrumque,
Frænavi domitrix, alienis juſſibus aures,

Oraque compellor rigidis ſubmittere loris.
Num moeſti venere dies, cum rumperet Alpes
Hannibal, & captis gemerent Capitolia Cannis?
Aut ætas Sullana redit? ſuccurre ruenti,
Auxilio, precor, alme, veni, flammasque recentes
Lethæis exſtingue vadis, me redde quieti,
Redde focos, triplicis retinent quos arma coronae.
Finierat, ſciſſa cum ſe Germania veſte,
Tarda gradu, fuſcisque genis, & crine ſoluto
Siſtit, & ingentes orditur moeſta querelas:
Dive Parens, ſeu Te Superi ſolamen in omnes
Terrarum miſere plagas, ſeu lilia ſolum,
Sceptraque Gallorum patrio tutamine fulcis,
Cur mea vicino turbari viſcera motu,
Atque repentini pateris contagia belli,
Immitesque meis immitti Dipſadas agris?
Improviſa petor, quem nondum ſole cadente
Extimui, ſurgente die, torrentior amne,
Hoſtis adeſt, imisque ſedet mors atra medullis.
O utinam liceat Libyæ ſitientis arenas,
Et lucos habitare rudes, gelidosque Triones
Foecundo mutare polo! quid fertile Rheni
Vitiferumque ſolum, plenis quid meſſibus anni,
Divitiæque juvant? egi felicius ævum,
Vomeris impatiens, & adhuc ignara ligonis,

Cum nemus Hercynium dumis operiret acutis,
Quæ nunc culta jacent, & docti neſcia furti
Sera Venus juvenum validis in proelia dextris
Gigneret indigenas, cum foſſile ſperneret aurum
Simplicitas, & opes animus contemtor eoas,
Nullaque numorum macularet copia mores.
Utque Quirinalis melius ſub moenibus Anci
Pauperis, & Curio ſub Conſule floruit ætas:
Paupertas ſic fauſta mihi, cum nullus adeſſet
Cæſar, & Auguſti non cognita fama Sicambris,
Nec mea Druſini pulſarent cærula remi.
Me miſeram! nati quam ſtrictis enſibus urgent,
Quos genui foecunda ſinu, populosque domandos
Edocui, Rhodanus riguis quos circuit undis,
Quosque Garumna lavat, ripisque capacibus ambit
Sequana, qui Gothico quondam maduere cruore,
Nunc infelicis graſſantur in ubera matris,
Et fratrum ſitiunt clades, proh dura nepotum
Pectora, Caucaſeoque magis perfrigida ſaxo!
Sic fatæ largis violantur fletibus ora,
Et vox intercepta feris ululatibus hæret.
Qualis in æquoreo proſpectans litore mater
Progeniem periiſſe ſuam, cum nubibus aſtra
Involvit Boreas, ac unda repellitur unda,
Ingemit, & madidis ſuſpiria ducit ocellis,

Nec tamen ipſa poteſt ſingultu mittere voces.
At Tu: quod veſtras turbo violentior oras
Irruat, & Diris agitentur triſtibus urbes,
Mens propenſa dolet, radiis melioribus ortos
Exſpectate dies, debellatumque Gradivum.
Verba ſecuta fides. Quod dudum pectore volvis
Pacis opus, monitus totis jam viribus urges.
It celer, antevolatque Notos, qui foedera miſſis
Diſſidiis ſecreta liget, ſævasque remoto
Sopiat arbitrio lites, nexuque recenti
Auſtriacis oleis fragrantia lilia jungat.
Sed Martem quæ geſta latent: ferus ille cruento
Provehitur curru, bellatoresque morantes
Increpat, & Treviro ſolum caſtroque Philippi
Perdomito, ſatiabor, ait, quæ languida ſortes
Otia, quisque tenet torpor? majora ſuperſunt
Expedienda mihi, verſo temone jugales
Teutonicos vaſtent campos, & Saxone fracto
Lechorum patulis paſti dominentur in oris.
Stant quoque diſpoſitis fulgentia caſtra maniplis,
Lectaque multiplici bellax de gente juventus
Ad nutus attenta Ducum, ſonitumque tubarum,
Et nova conſertis exſpectat proelia caſtris.
Nec minus obſtupuit Rhenus, muſcoſus ab urna
Proſpiceret quoties vitrea, virtute Pipinis,

Arminiiſque pares, & qui perſæpe rigentes
Suſtinuere nives, & tot diſcrimina belli,
Inſolitis hærere moris, nunc fidere vallo,
Oppoſitiſque vadis, nunc clauſas pandere turmas,
Et rurſus revocare tubis ad ſigna ruentes,
Ac mixto denſas acies diſponere Moſcho.
Aſt prohibes pugnas, ne coepta negotia pacis
Interrupta novo ſolvantur turbine rerum,
Ac iterum furibunda faces accendat Enyo.
Fluctuat interea dubiis dum motibus orbis
Spemque, metumque inter, remeat concordia votis
Exſpectata diu, mutatur veſte Gabina
Flebilis Italiæ cultus, redeuntque priores
Tandem Teutoniæ deterſo pulvere vultus.
Quas Tibi jam grates referant, quæ munera ſolvant,
Quem ſibi terribilem bello, placidumque quiete,
Et pacis facilem gentes ſenſere ſequeſtrum?
Quæ doctis monumenta manus, moleſque ſuperbas
Pyramidum, fulvi nitidas fulgore metalli,
Exſtruat, aut ſacris infundat nomina ſaxis?
Ædificent alii, ſurgantque per aſtra coloſſis,
Nimborumque domos, & ductis moenibus amplam
Nominis æternent famam, Tibi nullus in ære
Splendor, & in Phrygio non grandis adorea ſaxo,
Nec muris quærendus honos, Te facta perennant,

Quæ nunquam rugoſa teget ſub nocte vetuſtas,
Nec merget tenebris ætas ventura nepotum.
Felix ille dies, quonam Tibi ſola potentes
Cura gubernandi populos, humeriſque ferendus
Arduus imperii validis imponitur Atlas.
Tunc nituit revocata ſalus, faſceſque reverſos,
Imperiumque Numæ, & celebres Stiliconis habenas,
Lætaque Trajani conſpexit tempora civis.
Nam veluti, pulchro cum ſe Thaumantias arcu
Explicat, & picti coëunt in cingula nimbi,
Diffugiunt nebulæ, tempeſtateſque, niveſque,
Grataque pacato facies fulgeſcit Olympo:
Non aliter roſeo micuit florentior ore
Gallia, cum pondus regni ſublime ſubires,
Et Tua firmaret regales anchora proras.
Ac hilarem dixiſſe ferunt. O Sidera votis
Non inimica meis! tuque O mortalibus auſis
Aeterno divina favens Sapientia nutu!
Dum mihi Floriacum largiris, cuncta bonorum
Suppeditas augmenta ſimul, fulgentque renata
Ortu nobiliore novi primordia ſecli.
Nempe reſurgentis patriæ, populique ſalutem
Eſſe Tuam reputas, quas noctes ſerior ætas,
Inſomneſque trahunt curis mordacibus horæ,
Impiger has illis vigilas, ariſque, fociſque

Incrementa facis faſtis memoranda futuris.
Atque ſenex experta probas arcana regendi,
Qualia ſublimi quondam Tibi mente notabas,
Et notum jam carpis iter, ceu nauita ſolers,
Quem pater adſueuit pelago, ventosque, vicesque
Edocuit certas, ac inſtrumenta carinæ
Cuncta ſuæ, pronosque ferant quæ ſidera flatus,
Quæque truces hiemes, aut quæ vitanda charybdis,
Ducit inoffenſo tandem per cærula curſu
Ipſe ratem, clauoque ſuas accommodat artes.
Exemplisque doces Regem, velut alter Achillem
Grandævus Chiron, Xenophonve ſagacia Cyri
Pectora, quo ſurgat facili reſpublica niſu,
Et quo paulatim tenuem decreſcat in umbram.
Quidque Dion ſperare queat, quæ nocte tyranno
Dira Syracuſio, quod triſte Neronibus æuum.
Arcibus ingenuum præponi ciuis amorem,
Tutarique fidem melius, quam lumina centum,
Et centum clauis firmata trabalibus antra.
Et trabeas præſtare ſagis, niſi vibret Erinnys
Multifidas vicina faces, aut claſſica fines
Obſideant, nullaque pares ratione potentes
Numinibus fieri, quam ſi clementia furcis
Caudinis humeros nudet, Manlique ſecures
Horreat; & rigidas Marii redeuntis habenas.

Ingentes hac arte Duces, quos cana vetuſtas
Explicat, & dudum fulgentibus addidit aſtris,
Enituiſſe refers, claros poſt funera Reges
Vivere, fatorumque vices vitaſſe Capetos.
O fortunatas tanto rectore coronas,
Et faſces, Lodovice, tuos! cui providus æther
Obtulit in tali fauſtisſima quæque miniſtro,
Per quem majeſtatis apex, redivivaque regni
Robora, marmoreis plusquam ſuffulta columnis
Stantque, vigentque diu. Quem ſi Merovæa propago,
Et Carolina domus moderantem fræna tuliſſet,
Non divisa foret Francorum parta poteſtas
Sanguine, perdomitoque Gotho, non fracta propinquis
Fratrum diſſidiis, aut ſævi cædibus Hunni.
Non Arctos deſerta feris vexaſſet avita
Litora Normannis, ſed fulta potentia Regum
Creſceret arbitrio tali, fluerentque metallo
Nobiliore dies, majeſtatemque verendam
Obſequio coleret non obluctante Senatus.
Non jactes, Romane, tuos, tellusque Pelasga
Eximia virtute viros, quæ dives eisdem
Disjunctim natura dedit, conjuncta benigno
In Te cuncta fluunt cumulo. Te Celta Solone
Gaudet, & hoc patrio vellent moderamine flecti,
Cecropidæ, cuperetque Tibi memorabile Juſti

Nomen Ariſtides, & partas cedere laudes.
Quidquid Romuleæ pandunt oracula Romæ,
Et quid Athenarum referunt ſublime receſſus,
Mente tenes, majusque adſumtis auctibus exit.
Nec perit ulla parte dies, quodcunque recedit
Faſcibus, incumbit ſtudiis, populusque parentem
Quem vocat, hunc Phœbum ſibi docta cacumina poſcunt,
Sub quo naſcentes melius revireſcere lauri,
Et doctæ poſſint oſtro ſplendere ſorores.
Quem ſibi Publicolam cives, aræque loquentem
Ore Pericleo pro relligionis honore,
Et pro libertate vident, hunc aula ſecundum
Timoleonta colit, non capta per oppida fines
Augentem patrios, ſed quod fortuna negavit
Omnibus, Auſtriaco non indignante ſuperbas
Addentem Lotharî titulis regalibus arces,
Ut ſe nunc ſonipes Moſæ ſpumantibus undis
Abluat, & patulo Gallus bibat ore Saravum.
Qua dignum Te laude feram? Venerabile coeli
Depoſitum, veterisque redux Exemplar honeſti!
Cujus in excelſo ſe pectore condidit omnis
Copia virtutum, puro quem nectare totum
Imbuit, & mores pietas innoxia finxit.
Hæc Pharos, hæc Cynoſura Tibi, qua tuta per altum
Vela rapis, dubiosque ſecas ſine turbine fluctus.

)( )( )(

Quid mirum, quod cuncta Tuis felicia cedant
Conſiliis, ſumantque nouas Te vindice formas
Lilia, præcipuumque decus, tantaque poteſtas
Imperii pietate magis quam Marte reſurgat?
Diſcite, qui manibus Superûm diadema tenetis,
Et veſtris geminum libratis ſenſibus orbem,
Pœnorum non ſceptra dolis florere, nec aſtu
Fortunata regi, ſolii ſuprema vacillant
Culmina, funereiſque cadunt immerſa ruinis,
Propitium ſi Numen abeſt; Qui mente veretur,
Et prona cervice Deum, Regique, ſuiſque
Immenſum prodeſſe cupit, fundamina regni
Invidioſa locat, quæ nec numeroſa ruentûm
Annorum ſeries, nec præceps diruet ætas.
Hinc non parte Tui, ſed Te florentia totum
Sceptra tenent, horumque memor communia præfers
Incrementa Tuis, creſcunt æraria cenſu
Non Tua, ſed Regis, nimio ne fracta gemiſcat
Pondere pauperies, nec fulvum divitis arca
Claudat ſola Jovem, curis æqualibus urges.
Et faciles miſero patienter porrigis aures,
Inſonteſque juvas lubens, cohibeſque ſuperbos
Juſſa recuſantes elato regia faſtu,
Flagitiique reos, ac ut Marpeſia cautes
Fluctibus horriſonis, & ſaxa vehentibus undis

Opponit glaciale latus, frangitque ruentis
Oceani ſecura minas, ſic pectora foedis
Objectas vitiis, iſtamque immanibus hydram
Viribus Alcides ſuperas, illuſtrius aucto
Virtutum merito reparans mortalibus ævum.
O quantum laudis ſeros præbebis in annos
Materiem, cumulumque Tuæ! mirabitur unum
Poſteritas, quam Veſper adit, quam reſpicit Eos,
Tantaque perpetuis inſcribet nomina faſtis.
Qualis enim Gallo meritorum luce renides,
Talis in Europæ celſo ſpendescis Olympo,
Stellarumque choros ceu candida luna minores
Exſuperas radiis, quibus impacatus Orion,
Et triſtes Hyadum formæ, ſæuique Cometæ,
Armorumque faces oppreſſo lumine cedunt.
Quippe nihil tam dulce Tibi, quam pacis olivas
Spargere, funeſtasque aulis proſcribere rixas,
Indomitamque famem, rabiemque, animumque nocendi.
Dumque potens rapido telis Thrax incubat Iſtro,
Et Tauri commota jugis permiſta Getarum
Barbaries plauſtris, medios graſſatur in agros
Pannonis, & longis inſtat truculenta ſarisſis,
Quique bibit gelidas Scythicæ Mæotidis undas,
Et Tanais latices, Moſchi venientis ad arma
Obſtupet, & excors latebras, aditusque viarum

Quærit inacceſſos ferro, flammisque, globisque:
Omnibus attonitis, & deſperantibus, orbi
Arbiter Eoo, dirimenda negotia ſuades,
Et poſitis veteres clypeis revocare colonos.
Te moderante ratem tranquilla per æquora tranſit
Orbis tuta ſalus, conſpiravere Triones,
Atque iterum gemino ſociantur fœdere Celtis.
Et qui fidus amor pelago divulſa Britanni
Regna ligat Belgis, idem connectit utrisque
Lilia, ſurtivas ſecurus deſpicit Auſon
Inſidias, poſitosque ſibi, Te ſoſpite, caſſes,
Et ſecreta Tuo ridet molimina fretus
Palladio, metuitque nihil Germania diri
Morte Palatina, conjungitur Auſtria Gallo,
Et redeunt in pacta manus, quæ nulla reſolvent
Tempora, nec taciti collectis viribus aſtus,
Non vaga ſuſpicio, nec mordens omnia livor.
Sed velut annoſæ celſis in montibus orni
Non fidunt ad bella Noti, nec murmura Cori
Stridula, curvatisque ſolo radicibus hærent:
Non ſecus Auſtriacum, nullo turbante, manebit
Foedus amicitiæ, Rhodanum venerabitur Iſter,
Et ſua Rhenanis miſcebit gaudia Nymphis
Sequana, Floriacumque loqui tunc deſinet orbis,
Cum vinum querceta dabunt, lucemque tenebræ.

Fallor? an incerta deludor imagine ſomni?
Quos tumulos Libitina parat? quas ſæua cupreſſos
Erigit? & vacuas cineri quas deſtinat urnas?
Quid noua mutati tempeſtas nuntiat oris,
Regaliſque dolor? populus, Sorbonna, Senatus
Cur gemit, & ſociis queritur cur planctibus aula?
Horret adhuc animus, gelidusque per anxia currit
Oſſa tremor, fugiuntque genæ, dum ſingula morbi
Expendo momenta Tui, Teque ignibus uſtum,
Et prope ſurreptum memini vitalibus auris.
Sic erat in fatis, ut Te titubante tremiscat
Omne ſimul, trepidusque ſibi præſagiat orbis
Triſte chaos, verſamque graui molimine pacem.
Aſt iterum fauere Dii, Regique renasci
Incipis, & populo, Muſisque, Orbique, Tuisque,
Et ſuper invidiam, febresque, metumque, triumphans
Rurſus inoffenſo ducis veſtigia paſſu,
Et ſolitus redit ore vigor, frænumque reſumis
Imperii, fulcisque Tuo moderamine Regem.
O nimium dilecte Deo, Lodouice, feroces
Cui ponit mors ipſa minas, cui fata Miniſtrum
Seruant, Borboniæ quo ſurgit gloria ſtirpis,
Et regni ſublime decus, quo vindice Celtis
Eſt reparatus honos, nec non reverentia ſceptris.
Non majus fortuna bonum, nil fauſtius illo

Fata Tibi donare queant. Deuoluitur in Te
Hoc ſuperûm cœlique fauor, nec pulchrius unquam
Oſtri fulſit apex, & grandis adorea Galli.
Continuent ſuperi cunctis tam nobile terris,
Præcipuumque Tui pignus, pacisque redemtæ
Præſidium, ſeruare diu, ſic triſtis Enyo
Indignata ſuas morſu vexabit echidnas,
Iraque Lethæo flammas exſtinguet in amne.
At Tu, purpureæ decus immortale tiaræ,
Et mundi communis amor, ſeu pace peracta
Auſtriacas inter terras, Gallumque propinquum,
Nunc aliud meditaris opus, Tameſique potentem
Concilias Baetim, totique diutina mundo
Otia grata facis, ſeu rurſus flectis habenas,
Et Regi, patriæque vacas, reſponſa daturus
Legatis, libransque Tuis cum ſenſibus aulas,
Famæ viue Tuæ, vegetamque extende ſenectam
In longos, ſerosque dies, jam rumor anhelos
Aptat equos, & quem dudum celebrare per axes
Suſtinuit geminos, fulgentibus addere ſtellis
Nunc parat, heroumque choris, virtutibus aeuum
Et meritis imple claris, diſcantque nepotes,
Quæ præſtans Richelî ſtudium, Mazarinaque cœpit
Cura ſagax, perfecta Tuo monumenta labore,
Perpetuumque jubar per Te ſumſiſſe curules.